

DOMINICA CANTA-
te Sermo I. in ordine
XLIIII.

EXPEDII vobis vt ego vadam
 Ioan. 16.

De vili-
 tate &
 fructu
 erastis,
 domini
 ex hoc
 mudo ad
 patrem.

Vilitatem, & fructum transi-
 domini per passionem suam ex hoc mu-
 do ad patrem, quafi genus humanum
 patri est reconciliatum, à potestate dia-
 boli redemptum, atque perditæ hæredi-
 tati restitutum, apertè declarat scriptu-
 ra, traditq; ecclesia vniuersa. Ait enim
 apostolus ad Eph. 1. Gratificauit nos in
 dilecto filio suo, in quo habemus redē-
 tionem per sanguinem eius, remissio-
 nemque peccatorum secundum diui-
 tias gratiæ eius. Sequitur. Instaurare
 omnia in ipso, quæ in cælis, & quæ in
 terris sunt. Canit quoq; ecclesia de ve-
 sperno Christi sacrificio in crucis a-
 ra. O verè digna hostia, per quam fra-
 cta sunt tartara redem. plebs cap.re.ad
 vitæ premia. Certum itaque habet, &
 clarum omnis fidelis, quantum expedie-
 bat nobis ad salutem transitus Christi
 ad patrem, nisi enim transisset mortem
 pro nobis degustando, salua non fieret
 omnis caro. Sed non ita clarum, immo
 intellectu difficile, & obscurum, quod
 ex eo transitum suum discipulis expedi-
 re testatur, quoniam nisi transferit,
 spiritum consolatorem accepturi non
 erant. Nunquid præsentia Christi ad-
 ventum impediuit spiritus sancti? Nun-
 quid saluator mundi salutis vocationem
 prohibuit, aut mittens missum secum
 non comparitur, vt dicat, Si nō abiero,
 paracletus non veniet ad vos? Et vbi
 manet impatiens patrum desiderium,
 aduentum Christi secundum carnem
 tantopere desiderantium? vbi clamor
 prophetæ. Ostende nobis faciem tuam,
 & salui erimus. Si præsentia saluatoris
 facie non datur spiritus sanctus, per quā
 diffunditur charitas in cordibus fide-
 lium, qui operit multitudinem peccato-
 rum. Intelligitis, puta quanta attentio-
 ne opus est, quanto necesse habemus
 magisterio, vt verba salutis, salutē no-

bis conferant diligenter auscultantib;
 non præsent erroris occasione negli-
 gentibus. Vt ergo nos doceat intus spi-
 ritus veritatis, qui docet omnem verita-
 tem ad salutem necessariam, ad eam o-
 rationibus recurramus, quæ ab eodem
 meruit & instrui, & secundari, aduoca-
 tricem nostram virginem Mariam &c.
 Ave Maria Primò recitabitur euange-
 lium. Secundò addetur doctrina, per quā
 declarabuntur thematis verba.

Euangelium Ioan. 16. Euangelium
 istud profundum est, & multis myste-
 riorum sacramentis onustum, quia & es-
 sentię vnitate in personarum trinitate
 & personarum trinitatem in essentię
 vnitate, operationum quoque discre-
 tionem continet, quorum omnium profua
 ditas, omnium creaturarum intellectu;
 & maxime simplicium supergreditur,
 & excedit. Continet etiam doctrinas,
 & pro secularibus, & spiritualibus mul-
 tum proficuas. Siquidem in euangelii
 principio mentio fit de patre, & simili-
 ter in fine filius loquitur, & spiritus san-
 cti missionem promittit, ecce tres per-
 sonæ. Essentiæ vnitas ostenditur in per-
 sonarum circūiunctione, vnde filius di-
 xit. Quæcunque habet pater, mea sunt.
 Et iterum filius de spiritu sancto. Ideo
 dixi, de meo accipiet, ecce eandem triū
 personarum essentiam. Operationum
 quoque appropriata tangitur discretio
 quia patri autoritas, filio redemptio, ac
 reditus ad patrem, in quo perfecta sa-
 tisfactio, & peccatorum reparatio, per-
 ditorumq; recuperatio per passionem,
 & mortem eiusdem designatur. Spiritui
 sancto consolatio, iustificatio, & illumi-
 natio appropriantur. Ad horum decla-
 rationem, & doctrinarū intellectu tria
 queruntur. Primum, quomodo filius pi-
 mittit alium consolatorem spiritum
 sanctum, quasi ipse non sufficeret, cum
 tamen dicat de se. Venite ad me omnes
 qui laboratis & onere estis, & ego reficiā
 vos. Mat. 11. Secundum, quomodo non
 venit spiritus sanctus, nisi filius abierit.
 Nunquid filii præsentia præsentia spi-
 ritus sancti impediuit, cum tamen con-
 tentus sit mansionē pectoris ipsius? Io.